

4.
Er
Kt

IN LAVDEM PVERI IESV CARMEN

IOHANNIS FREDERI
HAMBURGENSIS.



Jan 968

ROSTOCHII

Excudebatur apud Iacobum Lucium
Anno M. D. LXX.

E

Wissenschaftliche
Buchhandlung
+ LEIPZIG +
C Robert-Schumann-Str.12
W 33 · Demmeringstr.60

БОГДАН

УЧЕБНИК

ЧЕМЯДЬ

ВСЕДЕНЬЕ ЗИМАННОЕ

Жн 968

1959 K 4384

Библиотека Университета Бонн
ХХХ.0.00

1959 K 4384

14.5.



ILLVSTRIBVS
OPTIMÆQVE SPEI ET
GENEROSAE INDOLIS DVCL-
bus ac D. D. IOHANNI & SIGIS-
MVNDO AVGVSTO, illuſtrissimi prin-
cipis ac D. Iohannis Alberti, Megal-
burgiorum & VVandalorum
Ducis F F. Iohannes
Frederus S. D.

DRINCIPIS cximum decus &
pulcherrima laus est,
Cum pater est patriæ lexq; sa-
lusq; suæ.
Emicat huic roseo maiestas strenua
uultu,
Iustitiæq; sacrum fulget ab ore decus.
Curia gaudet, agri lætantur, & omnia rident,
Et tollit niueas Gratia læta manus.
Tales uos igitur patriæ cùm Patria patres
Speret (ut ingenij sunt bona signa) Duces:
Gratulor & patriæ, uobis & gratulor ipsis,
Vos patria digni, patria digna bonis.
Indole præstantes, felici crescite fato:
Crescitis in magni munia magna patris.

A 2 Gloriæ

Gloria magna quidem, generoso sanguine nasci,

Maior, adire patris, maxima, ferre decus.

Pergite ceu læto cœpistis pergitte cursu,

Carpite uirtutis, carpite laudis iter.

Serta ferent uobis Musæ florentia lauro,

Serta per illustres confacienda comas.

Hæc communis amor uestris quoq; carmina iussit

Nominibus clara luce, dicata, frui.

Hæc puerο dedimus Christo, cum fingere nidum

Halcyonēn medijs bruma uideret aquis.

Hæc puer accepit Christus, puer optimus ille,

Hæc quoq; uos placida sumere mente decet.

Optimus ille puer, qui nobis uenit Olympo,

Vos, patriam, patriæ seruet ametq; D V C E S.

Et faxit ueniens felix ut transeat annus,

Tuta sit ara, Ceres læta, serena dies.

Este fide, studiisq; bonis, & moribus aucti

Spes patriæ, patris gloria, matris honor.

Artes sunt uitæq; duces, fontesq; bonorum,

Et celebres uirtus ingeniosa facit.

rim hinc, possum hinc, longa Ceres.



IN LA VDEM PVERI IESV

CARMEN

JOHANNIS FREDERI
HAMBURGENSIS.



CHRISTE iterum latus condam
tua facta camoenis,
Dum rediens nitidum rofco iubar
exeris ortu,
Et renouas toti communia gaudia
mundo.

Annua uirgineis etenim munuscula cunis
Fas mihi ferre: DEVS tenuem ne dcsdice Musam
Quæ nisi sacra tuæ uenissent tempora lucis,
Te laudesq; tuas oblita sonare fuisset,
Dans alijs operam studijs, insueta poësi.
Scd tibi grata, tibi modò debita soluere rursum
Gestit, auetq; tuas circum, tibi ludere, cunas,
Heroosq; leui numeros iterare susurro
Heroi nato: fer opem mihi amabilis Heros,

A 3 Affer

Nunc

Affer opem: duce te tua fas præscipia adire,
Fasciolasq; tuas euoluere, basia labris
Figere, dona dare, oblectari, ardere tuendo,
Ortus scire tui ueras ab origine causas.

Signa per Inferni patulos uictricia campos
Tollebant Erebi proceres: sua Tartarus ora
Pandebat, Stygijq; canes, rabidæq; chimærae
Harpyiæq; truces, Scyllæq; & Gorgones atræ,
Sphingesq; immanes, ultrixq; accincta flagello
Tisiphone, Eumenidesq; hydræq; et cetera monstra
Certatim in numerum ludebant, gaudia plausu
Et rigida insuaves testantia uoce cachinnos.
Postquam prima parens suasu decepta colubri
Verba DEI legesq; datas cum coniuge soluens,
Iam iam tartarei rapidis Acherontis in undas
Abiicienda foret cum posteritate nepotum.
Nec mora flammiuomus Sathanas Phlegetontis ad
ignem

Abripere hei miseros conto ardescebat adunco.
Stabat Adam, stabat resonans singultibus Euæ
Ante fores Orci, nec erat spes ulla salutis.
Tum Pater omnipotens ingenti pectus amore,
Ingenti pietate, animum succensus (imago
ipsa DEI medium scse dum filius offert,
Filius unigena atq; æternus) talia secum:
Siccine stirps hominum, quam nuper imagine nostræ
Fecimus

Fecimus eximiam, in nihilum labefacta redibitis
Siccine consilio nobis sapiente creatos
Auferet una dics: et funere mergit acerbo:
Non sic: Quin potius tenebrosa è nocte redibunt
In lucem, nostræ ucluti miseratio mentis
Exigit, et summæ poscunt opera ardua dextræ.
Viuet Adam, uiuet coniunx, uiuentq; nepotes
Pollicitis omnes erecti speq; parabunt
Actutum uacui replere uolumina cœli:
Quæs legio exturbata ruit, legio ista, nefandis
Quæ medijs alti sceptra affectauit Olympi.
Ne uiolata mei uero sit regula iuris,
Nate meæ uires, mea maxima gloria nate,
Fœmina cum fuerit tantorum causa malorum,
Fœmineum quondam semen prodibis in auras,
Aurea progenies hominis (mirabile dictu)
Verus homo sine labe, uiri sine semine factus
Verus mundi opifex, spes mundi, gratia mundi.
Nam (tua quanta hominum reparadæ cura salutis)
Quod meruere homines, homo tu patiere, tuaq;
Morte dabis morti mortem Mors mortis, et angue
Contritum pedibus subiges et ubiq; trifaci
Illudcs tua mordentem calcanea rictu.
Hæc pater ut dicit: Verbum patris annuit: auram
Spiritus afflat: homo Stygijs reuocatur ab undis.
Tum uero angelicæ fidibusq; tubisq; cohortes

A 4

Tcr.

Ter lætæ indulſere, ter indulſere chorcis
Ante patris ſolium, ter multicoloribus alis
Ter niueis plauſum manibus, curſuq; dedere.
Ter domus ipſa fuit cœli reſonare canoris
Exaudita modis, arriſit & undiq; mundi
Lucida tempeſtas, Rerum natura ſerenos
Induit extemplò uultus: Sol clarior amplio
Prodiſt Oceano, totusq; reſplenduit æther.
O miranda D E I bonitas, mirandaq; ſummi
Iuris temperies, o admiranda ſalutis
Humanæ ratio: quiſnam quis talia fando
Explicet, aut dignis tantas res uerſibus æquet?
Hič equidem stupeo: ecce Deus, Deus ecce potenter
Omnia qui fecit, regit unus & omnia, & omnis
Quem colit accuruusq; uocat, metuitq; tremitq;,
Nos homines ab humo cœli ſuper aſtra reponit?
Nos hei transcriptos Stygijs poſt funera flammis
Aeternūm, ob ueteris furti contagia: quod nec
Desijmus nec definimus facere: omnia contra
Dum facere edictum tenet omnes una uoluptas,
Vnaq; cura ſequi priſcae uestigia fraudis,
Et ruere in peius, ſanctumq; odiſſe, bonumq;:
Nos adeò nos ingenti complexus amore
Eſt pater à prima ſurgentis origine mundi:
Omnibus ut lapsis cœlo promiferit alto
Vnigenam (proprio noſtram quæ ſanguine labem
Elueret,

Elueret, clausiꝝ; fores reſeraret Olympi,
Associans fragilis ueros ſibi corporis artus
Immanuēl) ſine principio ſine matre parente
Progeniem: ſed ab æterno ſuæ originis inſtar
Quæ genita, eꝝ; Deo Deus eſt è numine numen,
Et lux in medijs fulſit quæ clara tenebris:
Lux ea quæ uiuo ſpaciosum lumine mundum
Irradiat, ſemperq; homines illuminat ultro,
Quicumq; in mundum ueniunt, quicumq; ſupersunt:
Et Verbū omnipotens, Verbū immemorabile uerbis,
Quo ſine nil factum, quod factum, factaꝝ; per quem
Secula ſunt, per quem decor omnis, & omnis ubiq;
Forma eſt & ſeries longè pulcerrima rerum.
Hic animi me deficiunt: ecquid loquar? ecquid
Hic ſaltem mcditer? D E V S, ecce D E I unicus ille
Filius omnipotens patris omnipotentis, imago
Ipsa D E I, faciesq; DEI, ſplendorq; uoluptasq;
E cœlis ueniens in terras ſumpferit oſſa
Veri animamq; hominis uera ex homine, omnia per
Naſcuntur quæ naſcuntur, ſit natus in ipſa (quem
Virgine uitalem pōſt uitam accperit ultrò,
Cui primus uitam dederit de tramite cœli?
Machina quem cœli, quem non capit ambitus orbis,
Mortalis fuerit mortali factus in aluo?
Maieſtate D E O ſimilis ſceptroq; thronoq;
Sit factus ſimilis ſeruo omnes inſimus inter

Seruos, inq; utero matris tener altus apertam
Per Cotylæ uenam fuerit: qui fautor & altor
Omnia diues alit, coruo quoq; sufficit escam?
Num iubar expectârit & astra & lumina solis,
Qui sol ipse, iubarq; ipsum, qui pulcrior astro
Omnibus impertit proprio de lumine lumen?
Maturusq; uteri sese lux unica rerum
Fructus, in hanc tulerit lucem? num criminis expers
Crimina persoluens mortem moriendo fugârit
Verus homo omnipotensq; Deus per secula regnass?
Imò certa fides: certam sperare salutem.
Quis dubitet? mirum mirando fœdus iniuit,
Consilio D E V S : ipse D E V S, D E V S ipse profatus
Omnia qui præstans facere est, qui fallere nescit,
Pactum cuius erit certum, promissio certa.
Scilicet hæc proauus spes primo erexit ab ævo.
In certam conuersa fidem, sic gaudia uitæ
Vidit Adam, sic uidit Abel, sic Sethus, Enosq;
Sic Enoch, sic Mathusalem, sanctusq; Lamechus,
Sic Noa, Iapetusq; Semusq;, & postmodò Eberus,
Tharaq; Thariadesq; Abras, sic filius Abræ
Isacus, Isacidesq; : D E I qui pacta fidelis
Bis senos docuit proceres, quos pignora lecti
Progenuit: quibus in bis senas ordinc pulcro
Gens sua secta tribus fuit. Extulit optemus autem
Hos inter studio scse pietatis Iudas.

Finxit

Finxit Iudeæq; suo de nomine nomen.
Hinc rex ille sui generis primordia ducit
Isaides Dauid, donec Iesseïa radix
Germine læta suo claras prorupit in auræ.
Dulcis iō salue radix, quæ cœlitus orta
Ambrosios latè per terras spargis odores.
Salue iterum, salue nostræ flos optime stirpis,
Splendor Iacobi, nitidæ nitidissime stellæ.
Israëlitici moderator maxime regni,
Et sceptrum Stygijs adeò exitiale tyrannis.
Tûne D E I soboles: æterni æterna potestas
Patris imago, patris uirtus, sapientia patris:
Tu princeps pacis: decus ætheris: arbiter æui:
Qui cum patre simul sacro cum flamine, mundi
Aethereos cudiſti orbes: qui sydera cœlo
Fixisti, pluuiasq; Hyadas, septemq; Triones,
Arcturumq; nitentemq; Oriona uocasti:
Atq; duos mundi uigiles, duo lumina flammis
Maxima, iussisti miranda lege uicissim
Lunam nocte, die solem lucescere terris:
Durastiq; solum discludens Nerea ponto:
Omniaq; è nihilo fabricatus es, ipsaq; rerum
Semina fecisti magnum per inane coacta,
Omnia iussistiq; iubesq; his ducere primis.
Quatuor è causis exordia prima, genusq;
Omne hominum, genus omne avium genus omne fee
rarum

Cunctaq;

Cunctaq; mōstra freti, fruticesq; hinc sumere uitā,
Cunctaq; diuina seruans uirtute benignus,
E terra duplice facis exhalare uaporem:
Vnde creas pluuios summotis nubibus imbræ,
Aut uestis alios niue, tanquam uellere, montes,
Aut instar cineris frigenti noctis in umbra
Deijs albentes (ut eñ olim Manna) pruinas,
Quas etiam in liquidum cœlo feruente resoluis
Rorem, qui in tenera pccori gratissimus herba est
Quicquid humum decorat, quicquid mare, quicquid

Olympum

A te non aliunde uenit, tibi militat uni.
Urere dediscit uagus in fornacibus ignis,
Prosiliunt suaves duris è rupibus undæ
Voce tua elicitæ: Quin sol in culmine cœli
Ipse tibi attonitus stans, ipsaq; Cynthia bigas,
Ipsa tibi uolucres requiescunt sydera cursus.
Tu tamen ô æternæ D E V S te deijs imas
Sponte tua in terras nostri miserere benignus:
Humanæ fragiles massæ nec respuis artus,
E gremio patris celso demissus Olympos
Quod damus hospitiū grati: quam condimus arcem
Nos tibi sancte puer uenienti cœlitus ad nos:
Qui thalamus, quales cunæ, quæ fulcra parantur:
Quale ostrum, quales puluilli, quiue tapetes:
Quales fasciolæ, qualis te purpura circum,

Aurea

103

2 A

Auræ quæ sedes: qualis cortina refulget?
Quæ tibi regalis ponuntur fercula mensæ?
Assyriūm ue torus fragrans tibi spirat odorem?
Quæs tua sapphyris auroq; crepundia splendent?
Qua fornace tuum munis à frigore corpus?
O nimis ingrati, nimis ô languemus inertes,
Vix semel aspiciimus uenientem: gaudia mundi
Arrident citius nobis, quam gaudia Cœli.
Vix semel atq; iterum tantæ bonitatis amorisq;
Afficimur sensu: grates si dicimus unquam,
Frigidius certè quam fas est, dicimus: intra
Pectora non ardescimus aut ignescere nobis
Sentimus cupidi uultus: non sanguis amore
Inflammatus agit mentem, nec fusa per artus
Mens cum læticia molem excitat, afficit, urget:
Torpor inest animis: tenebræ sumus, inq; tenebris
Voluimur expertes lucis, lucemq; tueri
Non adeò ardemus cupidi, nisi pectora luce
Nostra tua accendas accensaq; Christe gubernes
Sacra D E I sordent nobis: sunt cetera curæ
Et cordi: sanctis quotus est qui dona ministris
Offerat, aut aris dignos adolescat honores?
Nulla apud immemores summi stat gratia facti.
En Bethle hospitium Christi: arx munita, bouile:
Paruum antrum, thalamus: cunæ præsepio: furcæ,
Fulcra: ostrum, carex: puluilli, rastra: tapetes,

Cannæ:

Cannæ:fasciolæ, succingula: purpura, chordum:
Sedes, clitellæ muli:cortina, capistrum:
Fercula, lac: simus, Assyrij suffimen Amomi.
Tribulaq; & strigiles scuticæq;, crepundia, tortæ:
Et fornax, bouis halitus, osq; adstantis aselli.
Quos tamen impulsos mirando syderis ortu
Et per mille vias, per mille pericula uitæ
Eoa Reges procul ex regione profectos
Conspicor: illustres auroq;, ostroq; nitentes
Solicitos teneri cunas inquire Christi,
Amplectiç; pedes inuenti poplite flexos
Felices saluete, pij saluete, beati
Saluete Aethiopes patrijs num munera terris
Thus, aurum, myrrham Domino regiç; hominiç;
Huc simul affertis grati: uos Solis ab ortu
Solis ad occasum memorabit terra: quod arctis
Auxilium in rebus Dominoq; Deoq; tulistis.
Vos primum & felix redimendis gentibus omen.
Gentibus à spretis uenientium an aureus ille
Subtrahit aspectu sese puer: illéne spernit.
Dona:uidete: suis uos ultrò amplectitur ulnis,
Vobis arridet, manibus munuscula tractat:
Et placuisse sibi iubet, & sua tempora circum
Postmodò uictrices sinit inter serpere lauros,
Vsque adeò facilem sese uenientibus offert.
Mitius est Christo nihil, aut mansuetius ipso.

Sed

Sed quotus accedit? quotus est qui uisitat ipsum?
Non Scribis ignota noui cunabula Regis,
Non ignota tribus, nec tempora, uoce prophetæ:
Non tamen approparet, nil gaudia tanta morantur,
Ostendunt alijs ipsi nil talia curant.
Pluribus olla D E V S, craterq; & pluma, V enusq;
Subdola quinetiam uulpino pectori uota
Herodes faciens simulat noua gaudia: honorem
Defert ore: animo Antiocho crudelior ipso
Sæuior ipso etiam Busyride, sæuior ipso
Qui factum ære bouem stridenti torruit igne.
Aspice terribilis uultumq; manusq; tyranni
Aspice grassantes stricto crudeliter ense
Crudeles nimium satrapas: (horresco) tenellos
Dum uideo auelli truculenter ab ubere matrum
Filiolos: abiecta iacent corpuscula partim
Per fora, perq; domos, partim tolluntur in altum
Cuspide fixa, uel in uicinis sepibus harent.
O tristes teneris uiduasq; nepotibus oras.
Aspice quæ facies, quam tristis imago parentum:
Pars citò diffugiens auidis simul abripit ulnis
Pignora parua, cauas queritq; subitq; latebras.
Territa nec seræ meminit decedere nocti.
Pars lacerant tunicas pariter, pariterq; capillos,
Et sua percutiunt indignis pectora palmis:
Tristis ubiq; pauor, luctus crudelis ubiq;

Crude

Crudelis ne tuus fertur uagitus ad aures?
Audin' lamentis audin' muliebri ululatu
Aethera compleri & gemitu tristiq; tumultu
Illud adorare est? illud dare dona? tyranni est:
Hei dirum scelus infantes mactare tenellos,
Cuncta D E V S cernit uindex, atrocia certò
Atroces citò uel tardè dant crimina pœnas.
Nec fera tu fera crudelis dominator Idumæ
Vsq; adeò longum scelere es lætatus ab illo.
Fallor? an immundos circum tua corpora uermes
Repere confocio: turpiq; fluentia tabo
Membra tibi percdi cum magno teq; gementem
Illaudatam animam post exhalare furore,
Vos autem video uos terq; quaterq; beatos
Infantes, necuit diri quos sica tyranni.
Vos video palmis uictrices tollere palmas,
Prætextisq; nouis nitidos & suave rubenti
Murice fulgentes procedere, perq; cruorem
Immaculati agni uexilla tenere salutis.
Scilicet illa salus, illa est fortuna piorum:
In cruce florere: in tormento psallere, in æstu
Frigus captare: in lacrymis ridere: cadendo
Stare: in pauperie, dite scere: uincula ferendo
Viuere liberius, moriendo uincere mortem.
Vnius in morte & meritis unius I E S V.
Paruo sica potest momento tollere corpus,

Sanctas

Sanctas uero animas uiolentia nullius unquam.

Quod tibi soluemus grates dux optime pacis
Optime iusticiæ princeps, rex optime uitæ
His pro muneribus fuso num sanguine gaudes
Hircorum num uisceribus num thuris odore
Visne sacerdotes altaria ad ipsa rotundo
Pileolo caput ornatos, uiridiq; smaragdo
Pectora fulgentes, zona lumbosq; nitenti
Succinctos sacris uigilem penetralibus ignem
Seruare, intonsa natorum adstante caterua,
Fundentum pateris uituli, pro more, cruentus
Non ea sunt, quæ grata tibi sunt: illa refixa
Lege statuta iacent. sacrorum namq; tuorum
Umbra modò meritiq; tui, mortisq; fuerunt,
Officijq; tui, ueriq; Aaronis imago.

Hostia grata tibi est mens grata, et grata uoluntas:
Quando tui uero læti flagramus amore.

Teq; patremq; tuum duce te cognoscimus almi
Flaminis auxilio: precibusq; exposcere pacem,
Et uerbis placuisse tibi, factisq; studemus:
Confisiq; tibi soli, et tua iussa secuti
Facta tua et memores benefacta sonamus ubiq;.
O fortunatos homines, tua si bona norint,
Si sua despiciant, tua suspiciantq; trophæa.
Te uerum cœliq; omnes terræq; loquuntur
Esse D E V M: Simeon te iam uenerabilis æuo-

simmo

B Sentit

Sentit adesse, dehinc facili se lumina fato
Clausurum, exclamans uiso iam lumine pacis.
Tu puer in medio seniorum pectora mulces,
Nil puerile sonans adeò puerilibus annis.
Tu facis insuetum caliccs spumare liquorem
Felices hilarans thalamos, tu corpora morbo
Exangui collapsa iubes assurgere, febres
Te ueniente ultrò fugiunt, nec flaua putrescit
Ulterius bilis, mala nec pituita redundant,
Nec corruptus adest circum p̄cordia sanguis.
Non Elephas retinet squamas, possessa relinquit
Membra hydrops, furiæ cedunt, nox diffugit atra
Ex oculis, claudi saliunt, mutiq; loquuntur.
Auditusq; redit surdis, fluxusq; cruoris
Fœminei cessat, multi ipso in limine mortis
Ad uitam redeunt, multi post funera tollunt
E terra caput, erecti non arte, uel illo
Pœoniæ succo, tacta sed ueste, uel una
Voce, uel intuitu primo: similisq; potestas
Cernitur in socijs: quos non tibi quæris in aula
Regis, uel Solyma in cathedra: sed littore in ipso.
Quid loquar ut facias siccis iter æquore plantis,
Horrisonumq; domes Boream, frustraq; labore
Nocturno fessos ingenti munere dites?
Atq; adeò Cerere exigua tot millia pascas
Bis senis redeant ut frusta relicta canistris.

Omnia

Omnia quid memorem? sunt Christe tui omnia plena
Extra te nulla est uia, nulla remissio culpæ
Nulla salus, uitæ spes nulla, redemptio nulla,
Tu solus nobis placas aperisq; parentem,
Tu solus nobis decerptas comprimis uuas,
Tu solus nobis moriendo recludis Olympum.
Tu solus roseum sudas per membra cruorem,
Tu solus pateris tot uerbera criminis expers,
Tu solus uincire, flagris tu cæderis insons,
Tu solus gestas spinosam fronte coronam,
Tu solus medio latronum stipite pendes
Aeneus ut Mosæ populis spectantibus anguis.
Tu solus miserè palmasq; pedesq; peractus,
Tu solus rigido traiectus pectora ferro.
Pro nobis animam caput inclinans exhalas.
Tu solus, sine sole domos inuadis Auerne,
Tu scilicet Sathanamq; domas, manesq; resoluis
Ceu leo magnanimus magni de sanguine Iudea.
Quin etiam solus propria uirtute resurgens
Solus agis summum cœlos scandendo triumphum:
Ut Phœnix senio piger, ipsa in morte senectam
Cum ponit: nouus exoritur fulgensq; iuuenta
Aethiopas auium grege conuolitante recusit.
Tu scala illa Israël, rubus ille, & uerus Ioseph,
Beniamin uerus, Simsonq; & uerus Jonas,
Tu solus residens ad dextram patris, & inde

Venturus uitas populorum & criminis discet
Interea legis, electos animasq; ministros
Atq; sacro complex illorum pectora flatu:
Quo duce uera student & scire & dicere uera,
Vera probare fide, req; ipsa uera tueri
Ad regum solia & testari sanguine fusus:
Et tua iura, tuum foedus, tua dicere facta
Ut toto surgat uerè gens aurea mundo.
Hoc opus omne tuumq; tuiq; est muneris omne
Christe Dei splendor, magnum patris incrementum
Tu panis uitæ, non tantum corporis huius
Verum animæ panis, uitæ uitisq; futuræ
Omnia gratuitò nobis delicta remittis:
Tu facis ut uigeant Arctoö littore Musæ.
Tu facis ut puri tot Syrtes inter & hydros
Læta Euangelij superet modò concio nobis.
Omnia plena malis: ferus impedit omnia Mauors.
Herodes alij surgunt, sub floribus Hyblæ
Colchidis abscondunt frutices aconitaq; ponti.
Est sibi quisq; DEVS, DEVS est sua cuiq; uoluntas,
Et certare probris, ars est: laus, cedere nulli:
Hinc mœret uiolata fides, Ecclesia plangit,
Pax gemit, errat amor ucri, concordia luget.
O si crebra tibi solummodo uota feramus
In melius uersis, melior fortuna faueret.
Speq; fideq; rogans frustrà te nemo rogauit.

Ocia

Ocia sed nimium torpens Germania ducit
Et secura, prius minimè se nosse laborat,
Quām truciū fuerit cūm perdita præda luporum
In damno sapiunt stulti, post damna capescunt
Consilia, ante pedes ipsos cum certa ruina est.
Sic sapuere Phryges: ueruntamen optime Christe
Hic ubi uicinas irrorat Neuela ripas
Das pacem nobis in tanto cardine rerum.
Tu sacra templa sacrīs uerbi præconibus ornas,
Quorum uita pia, & placidi sine crimine mores,
Suauiaq; ingenia & iucunda scientia rerum,
Atq; oculi uigiles, animi q; ad fortia nati,
Et sincera fides, mensq; una & gratia concors,
Voxq; salutaris Diuinæ congrua uoci.
Tu quoq; tu præsens agmen puerile tueris,
Tu pia solliciti nobis das corda parentis
Prospera tu nostro das incrementa labori:
Vtq; dein nobis faueas adfisq; precamur.
PRæclari pietate Duces uirtute decori
Magni animis, magni meritis patriæq; parentes
Optima sunt nostræ decora, optima munera terræ.
Sub quorum sceptris Ecclesia floret amoena,
Pieridesq; colunt tutò sua sacra camœnæ
Et communis habet placidam Respublica pacem:
Aeriæ ueluti, qua congesserc, palumbes
Umbrosæ patulis uolitant sub frondibus ulmi,

B 3

Et letæ

Et lætæ inuolucres gaudent educere pullos.
Tu dator es sceptri rex regum maxime I E S V,
Tu supere se iubes hos tristi tempore nobis
Heroës laudiq; tuæ superesse iubebis
Imperium felix, opus est solius Olympi
Non hominis, tu summe D E V S das regna rapiſcere
Tu niſi cœpta regas, niſi per uigil oppida serues
In cassum struetas fruſtrâ uigilamus ad arces.
Tu facis ut uideant oculiq; auresq; pateſcant.
Hoc facis hic etiam nobis ubi dulce dedisti
Hofpitium: ſiquidem præſtans uirtute Senatus
Te colit, Astræam colit, optima iura tuetur,
Acquæ pauperibus ſeruit locupletibus æquæ
Hinc niueis plaudit felix concordia palmis,
Atq; bonos profert florens respub. ciues,
Quorum prompta fides: ſua dum communia Mus
Tecta ſinunt fieri, atq; fouēt ſacra caſtra ſequentes.
Quò tua maior erit uenturo gratia feſclo.

Sed quid ego uili tua Christe amplissima uerſu
Persequar acta: mihi totidem ſi pectora, ſicq;
Ora mibi totidem, claro quo in æthere ſtellæ:
Non tamen ex meritis ea possem ferre per orbem.


Nulla tuis igitur donem munuscula cunis:
Carmina nulla canam: nec me præeunte pusillus
Grex mea cura, mecum ſtudium, mea magna uoluptas
Annua uota tibi ferat: alta silentia præstem:

Non

Non ita: pro modulo, donec me uit a manebit
Te dicenda docente, meis nil uiribus ausus
Te cum cœlitibus pariter pecorumq; magistris
Cantabo, tenui meditatus arundine Musam:
Quæ tua facta sonet, celebret benefacta, quotannis
Me circum uiridi puerorum stante corona.

F I N I S.





Jm 968
(X2215216)

Farbkarte #13

B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta


Red

Yellow

Green

Cyan

Blue



IN LAVDEM PVERI IESV CARMEN

JOHANNIS FREDERI
HAMBVRGENSIS.



Jan 968

ROSTO CHII

Excudebatur apud Iacobum Lucium
Anno M. D. LXX.

E

